



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Sect. II. Gaudia inter mærores, cantus inter lachrymas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

Qua B. Lucas hanc multitudinem, propter ordinem, fortitudinem, maiestatem, que est in his cæli legionibus. Deinde Christus venerat, ut bellum capesseret, & illum fortem armatum fortior ipse vinceret. Atque uti militiæ coplures sunt manipuli, centuriæ, cohortes, copie, legiones, ita & multitudo Angelorum non ex hierarchiâ aut ordine uno convenerat. Verosimile autem est illos Angelorum exercitum tum demum post expositum pastoribus nuntium ad volasse, nec auditos tantum esse, sed & vivos.

Divinum Angelorum melos fuit: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* Hic Angelorum salutare Hebræo pacis nomine, omnem salutem & prosperitatem imprecantur, & quidem iis hominibus, qui bonâ habent voluntatem. * Cum inter cælum & terram diuturnum bellum arserit, id demum pace per nuptias inter Verbum & Humanitatem stabilita sublata est. Quid mirum ab Angelis præconibus pacem proclamari turbidis & iracundis hominibus, cum ille toties læsus, tamque graviter offensus Deus ad pedes nostros jaceat, & pacem quasi supplex offerat, imò lacrymans petat, paratus luere omnia, quæ à nobis offenso Numini deberentur. Pax igitur sit hominibus illis qui vel propensam habent voluntatem ad divinam hanc pacem & misericordiâ amplectendam, vel quos optimus Deus ad æternam vitam electos bonâ prosequitur voluntate. Triplex olim discordia vigeat: gravissima omnium inter Deum & homines: altera inter Angelos & homines: tertia inter ipsosmet homines. Pax igitur terræ restituta, has inimicitias omnes sopivit. Pax ista jure meritisimo Domini pax appellanda. Quod nomen Gedeonis altari indidit. Nam adificavit ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud *Domini pax*, usque in presentem diem.

Huic paci certatim præfati Patres applaudent. Beatus Maximus, *Si tibi, ait, patris viderentur, Angelos collaudantes admirare: si credis vilita, crede & miracula.* Aureus Orator Chrysothomus, *Olim, inquit, Angeli ad puniendum mittebantur, nunc cantant, & gratias agunt.* Gregorius Magnus Pontifex Summus de his Angelis dixit: *Gaudent suum numerum impleri. Idem pæne pronuntiavit Origenes: Gaudent venisse mundum, qui præter quod ipsi non poterant. Et D. Cyrillus, Pax, inquit, per Christum facta, qui nos deo reconciliavit, duosque populos in unum pacificavit, cælicos & terrenos in unum gregem composuit.*

Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cælum. Quis ambigat cantantes, & divinam bonitatem laudantes in cælum esse reversos? Redierunt autem tamquam abundi veniâ à suo Domino concessâ, nam Dominus ipse diutius in hac laboris & doloris valle decreverat hæreret. Ita subinde comiter & perhumaniter Principes agunt, qui à palatino comitatu ad pauperis alicujus ædes deducti, redire jubent omne famulatum alicuium, ipsi soli cum amico paupere mansuri. Sed erigamus dictionem aliquantulum: volemus & cantemus cum beatis mentibus.

§. II. *Gaudia inter merores; cantus inter lacrymas.*

Hoc tandè die, seu potius hoc elapse noctis meridie, tellus vario scelere deformis, & cælum factiosio cive vacuum, lætari, illa formâ alam, hoc alios cives sperare cepit. Natus nobis est Princeps, natus Servator. Matrem cepit habere, qui creavit ipsam Matrem. Omnia novo vultu, novis deliciis perfusa. Iam cælum terræ amicum gratulatur, terra insolenti plausu remugiens gratulanti cælo respondat. Sidera diceres loco emota ad festas choreas præconite Lunâ subsultare. Verè hodie

Accensum multo cælum telluris amore, Conjugis in gremium vorantes impluit imbres, & adeo largiter, ut mox omnia ridere ceperint. Sed

A heu! video quod mihi guttis prægnantes reddat oculos, & certè lacrymas jam parturum, funebrem partum edituri, ni suffocem. Video lætiam dolentem, & frigentem flammam. Video oceanum sitientem, copiam indigentem, satietatem esurientem. Video involutum fasciis Deum. Et cui adeo cornea fibra, etius oculi tam duri silices, ut ab illis nec guttam exorèt, si cernat Deum infantè, utiulis genis vagientem; & tenellis imbribus pluentem, non ex atrato cælo, sed ex rubicundis oculis? Illum quidem superi ut regem reverentur; sed ubi Scipionis Allobrici argentea vasa? ubi Drusillani Rotundi lanx quingentaria? ubi Persarum Regum vitæ atria? ubi Amyntæ racemi ex unionibus faberrime elaborati? ubi Cyri domus à Memnone candidissimis lapidibus, & auro revinctis extructa? ubi capaces Heliadum crista, & inæquales Virronis berylli? ubi Dionis Syracusanî nebalosa sîmna, carbasi que textiles vanti? O regis nimiam egestatem! palatium illi præbet fordens caula; pro cocineâ gausapâ stipula est triste fodicians; pro lectulo eburneo horridi præsepis fragmenta & cunæ è cespite, pro perdicum plumis palustres cannæ, pro thureis nubibus sæva stabulæ mephitis. Sed quid huic supellectili illacrymor? Hic divites sunt & summæ. Abite lacrymæ, quis enim rex ille tam opulentus, cujus genethlia effusum in terras cælum cecinerit? Noster hic est, quem non infelix ille populis augurium Cometes, sed novum sidus nuntiat, sidus omni Dionæo astrâ fulgentius. Noster hic est, quem cælitum phalanges divino carmine toti orbî divulgant. Regius Pfaltes cantabat olim: *Laudate Psal. 148.*

Domini de cælis, laudate eum in excelis. Nos jam vertimus & cantamus: *Laudate Dominum in stabulis, laudate eum in infimis.* Nimirum cogitat Christus mature inter pecudes assuescere (ne miremini, ô Angeli) progressu ætatis hic ipse Dominus inter bestias esurire, inter latrones mortem appetet. Sed fas mihi sit, Christus, cunas tuas deserere, ad quas non philologi, sed Philothei vocantur, aut etiam illi, sed ut sine isti: *Fas sit, divine Puer, antro egressi & auribus haurire modulantis illius cœtus suavissimum nectar.*

Amitemi, uti me docet Iulius Obsequens, Consulibus Romæ Servilio Capione & Attilio Sarrano, cum ex ancillâ puer nasceretur, dixit: *Ave.* Hic dies ille auspiciatus est, quo puerum Virgo enixa, quæ se ancillam vocarat, & non erat; & hoc illud *Ave* est, quod hodie cælestes genu concinunt dulcissimis modis. Et, ô Deus, quid visum, quid auditum in aère? Discursu triumphali completur magnum hoc inane, auræ renident ferentâ facie, audiuntur cantus ultra cuncta vocum oblectamina. Putes canoras aviculas prolectante vernò tempore, concentus suaves adsonare. Credas arbores Austrinis laxatas fratribus germinè foliorum vestiri, & clementi brachiorum maçu dulces strepitus obfibilare. Censeas magno procellarum sedato fragore, ac turbido fluctuum tumore posito mare quietas alluvies temperare, cælum autem nubiloso squalore rejecto, nudo sudoque luminis proprii splendore candere; ridere, gestire omnia.

§. III. *Novi Orphei è cælo legati cantant.*

Si fides fabulis est, Orpheus in silvis cantavit, inter Delphinas Arion. Ille exilio multatus, hic navigio præcipitatus; ille immanium bestiarum delinctor, hic misericordiarum belluarum oblectator; ambo miserimi cantores, quia non sponte ad laudem, sed necessario ad salutem cantarunt. Eos ego impensius admiraret, si hominibus potius placuissent, quam bestiis. Et quis hominum satis miretur cælestes illos Orpheos, qui non per solitudinem, sed per aëris amplissimos campos diffuderunt inauditum melos? Eos

Angeli per amplissimos aëris campos inauditum melos diffuderunt.

Handwritten marginal note in the top right corner, partially obscured.

Handwritten marginal note on the right edge of the page.